

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

M.A. Level Medieval Latin Examination

15 April 2002

Translate **ALL** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. A disciple of St. Andrew offends his parents

Erat quidam iuvenis in Tesalonica nobilis valde ac dives opibus Exuos nomine. Hic venit ad apostolum, nescientibus parentibus suis, et procidens ad pedes eius, rogabat eum, dicens: 'Ostende mihi, quaeso, famule Dei, viam veritatis. Cognovi enim, quod verus minister sis eius qui te misit'. Sanctus vero apostolus praedicavit ei dominum Iesum Christum, et credidit adolescens, adherens sancto apostolo nihilque de parentibus meminens neque de facultatibus aliquam inpendens sollicitudinem. Parentes autem requirentes eum, audierunt quod in Philippis cum apostolo moraretur, et venientes cum muneribus, rogabant, ut separaretur ab eo; sed nolebat, dicens: 'Utinam nec vos has opes haberetis, ut mundi cognoscentes auctorem, qui est verus Deus, erueretis animas vestras ab ira futura'. Sanctus quoque apostolus descendit de tristico et praedicabat eis verbum Dei; sed non audientibus, rediit ad puerum et clausit ostia domus. At illi, convocata cohorte, venerunt, ut incenderent domum illam in qua erat iuvenis, dicentes: 'Intereat puer, qui reliquit parentes et patriam'.

2. **Hincmar of Reims: the origin of the priesthood and episcopacy**

Legimus in sancta scriptura veteris testamenti, quia David rex simul et propheta praefigurans dominum nostrum Jesum Christum, qui solus rex simul et sacerdos fieri potuit, duos in sacerdotibus ordines constituit, in summis videlicet pontificibus et in minoris ordinis sacerdotibus, qui nunc presbyteratus funguntur officio, ea videlicet provisione, ut, dum quilibet pontificum vita decederet, quicumque sacerdotum optimus putaretur, ei in pontificatum succederet. Et in novo testamento dominus noster Jesus Christus de multitudine discipulorum suorum, sicut in evangelio legimus, XII elegit, quos et apostolos nominavit. Horum in ecclesia locum tenent episcopi, sicut sacra scriptura et catholici doctores ostendunt. Designavit etiam et alios LXXII, qui sub XII apostolis figuram presbyterorum, id est secundi ordinis sacerdotum, praemonstraverunt, ut decedentibus episcopis de his secundi et inferioris ordinis sacerdotibus secundum sacros canones spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos ad summi sacerdotii apicem loco decessorum episcoporum provehantur, sicut sacra scriptura actuum apostolorum patenter ostendit.

3. **Gesta Cnutonis: the birth of a son for Cnut**

Sed quid multis immoror? Gaudium magnum in coniugatione tantorum dixi fuisse; multo autem amplius dico, suscepta masculae prolis oportunitate. Non multo post siquidem, Salvatoris annuente gratia, filium peperit nobilissima regina. Cuius cum uterque parens intima atque ut ita dicam singulari gauderet dilectione, alios vero liberales filios educandos direxerunt Normanniae, istum hunc retinentes sibi, utpote futurum heredem regni. Itaque dilectissimum pignus, uti mos est catholicis, sacro abluerunt fonte baptismatis, imponuntque ei vocabulum quodammodo optinens indicium futurae virtutis. Vocatur siquidem Hardecnuto, nomen patris referens cum additamento. Cuius si ethimologia theutonice perquiratur, profecto quis quantusve fuerit dinoscitur. 'Harde' quidem velox vel fortis, quod utrumque, multoque maius his, in eo uno cognosci potuit, quippe qui omnes sui temporis viros omnium virtutum praestantia anteivit. Omnes igitur eius virtutes enumerare nequeo; quapropter ne longius a proposito exorbitem, supra repetam historieque sequar ordinem.

4. Legal proceedings concerning an illegitimate son

Item mulier que de adulterio suscipit filium vel supponit partum debet laborare quibus potest modis ut legitimi heredes non defraudentur. Et licet sibi non videatur talis posse salvari, non est tamen ei deneganda penitentia, ut dicit Innocentius Tercius, set procedet hoc modo: Revelet factum suum alicui discreto, et postea cum ipso vel sine ipso, si potest, revelet episcopo in secreto, et sacerdos discretus vel episcopus inquirant si spurius vel suppositus sit homo timens Deum et spiritualis. Tunc vocato illo et prestito sacramento, quod secretum tenebit, poterit tale revelare et consulere ut ingrediatur in religionem vel transeat ad longinquam regionem ut sic nichil ultra percipiat de bonis illius quem putabat patrem suum. Ea autem que consumpsit de se si potest restituat vel conponat, vel petat remissionem a viro mulieris si vivit, sin autem, ab heredibus legitimis – non tamen per se, set per aliquem fidelem interpositum.